CONSOLATIO

AD ILLVSTRISSIMVM PRINCIPEM AC DOMINVM, DOMINVM FRIDERICVM VVILHELMVM, DVCEM SAXONIÆ, Landgrauium Thuringiæ & Marchionem Miſniæ,


IN IMMATVRVM OBITVM

ILLVSTRISSIMÆ PRINCIPIS AC DOMINAE, DOMINAE SOPHIAE, *Ducis VVirtenbergicæ ac Tecciæ, &c. Coniugis dilectiſsimæ.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Auctore

ANDREA CASPARO AB EBELEBEN Illustriss. Saxon. Ducum Vinarienſium Conſiliario Aulico.

15  90.

IENAE.

Typis Tobiæ Steinmanni,

CONSOLATIO

AD ILLVSTRISSIMVM PRINCIPEM AC DOMINVM, DOMINVM FRIDERICVM VVILHELmum, Ducem Saxoniæ, Landgrauium Turingiæ & Marchionem Miſniæ.

IN IMMATVRVM OBITVM

JLLVSTRISSIMÆ PRINCIPIS AC DOMINAE, DOMINAE SOPHIAE, *Ducis VVirtenbergicæ ac Tecciæ, &c. Coniugis dilectiſſimæ.*

Maritus ad pios manes Coniugis exoptatiſſimæ.

IAm mihi triſticiam video, lachrymasque paratas:
Coniugis heu properant ſata ſuprema meæ.
CHRISTE *laboranti ſanctiſsime parce maritæ:*
Parce precor: letho me trahit illa ſuo.
Te penes eſt vnum vitæque necisque poteſtas,
Ergo ſalutarem, nam potes, affer opem.
Jllius interitu lucem terrasque relinquam,
Et ſequar ad tenebras, Elyſiumque nemus.

Sed nihil inuito fas eſt confidere cœlo:
Mors illi rapidas iniјcit atra manus.
CHRISTE ſalus hominum, nigri & ſpoliator auerni:
In cuius ſita ſunt vitaq́ morsq́ manu:
Da tantos animi poſſim perferre dolores,
Nec mihi diſpliceant quæ placuere tibi,
Neuè voluntati diuinæ fortè repugnem,
Colluſtra flatu pectora noſtra tuo.
Eheu ſicnè iaces vita mihi charior ipſa,
Et tecum moriens gaudia noſtra rapis?
Nec tua vel pietas, vel mens ſibi conſcia recti.
Et faciles mores & ſine labe thorus:
Te potuere truci incolumem ſubducere morti,
Quin caderes triſti flebilis vmbra ſolo:
Cogito te veniente die, fugiente requiro,
Non poſſum ſine te viuere, malo mori.
Vnanimis ſeptem mecum quæ iuncta per annos,
Eheu tam ſubita morte perempta iaces?
Tu ſolamen eras magnum mihi rebus in arctis,
Tu rebus dubijs dulce leuamen eras.
Heu heu tam ſubitò perierunt gaudia, eritq́
Nox ſine te triſtis, triſtior ipſe dies.
Deſeris ac miſerum ſic optatiſſima Coniux:
Sic tecum tota eſt noſtra ſepulta ſalus.

Lon-

Longior eſſe die mihi qualibet hora videtur,
Ac anni ſpatio longior vna dies.
Fallimur & cæci mortem procul eſſe putamus:
Jlla tamen medio corpore clauſa latet.
Quandoquidem ex illa primum qua naſcimur hora,
Jt vitæ iuncto mors comes atra pede.
Et morimur ſenſim & momento extinguimur vno,
Vt lampas oleo deficiente perit.
Mors nihil vt perimat, tamen ipſo in tempore præſto eſt,
Qui nunc ah miſeri, dum loquimur, morimur.
Jncuſare DEI numen, non iuſtaq́; facta
Dicere, flagitium ni foret atq́; nefas.
Vxorem noſtram ſubitæ vi mortis ademptam,
Mens mea quod doleat, quodq́; queratur habet.
Chara marita, marita iaces dulciſsima, raptam
Tam citò mors noſtris abſtulit ex oculis.
Occidit, ah fruſtra mea verba precantia fundo:
Occidit, ac ſecum gaudia noſtra tulit.
Ergò etiam manes tibi nunc comes ipſe ſub imos,
Si liceat iunctis paſsibus ire velim.
Nempè redire tibi iam non datur ætheris hæres,
Nec mihi fas vltrò te ſuper aſtra ſequi.
Tu caſtos inter cœtus, animosq́; piorum
Ætheris in pura luce beata manes.

Unigenamq́ DEVM, maieſtatemq́ verendam
Aſpicis, æternis perfrueriſque bonis.
At quod me, me quod ſpoliatum coniuge tempus
Excipiet? quæ iam vita futura mea eſt?
Delicijs animi nunc tota mente fugatis
Cogor in extrema viuere triſticia:
Tecum delitias & gaudia noſtra tuliſti,
Quæ nulli poterunt reſtituiſſe dies.
Ergo te ſequimur, fontemq́ ſitimus eundem
CHRISTVM, quem pleno nunc bibis ore ſatur.
Hic nil dulce mihi, luctu tabeſco perenni,
Luminibus non ſunt, vllaq́ grata meis.
Et poſthac quodcunque meos accedet ad annos,
Mœſtus vt amiſſa compare turtur agam
Seu tenebras, lucis ſeu ſplendida lumina cerno,
Lugeo te noctu, lugeo teq́ die.
Chara marita, marita peris dulciſſima, morte,
Tam ſubita Coniux, eriperisq́ mihi.
Nos habuit quondam viuentes vna voluntas:
Cur non nunc vnâ nos tegit vrna duos.
At mea non fiat, tua ſed Pater alme voluntas
Nam te laus omnis, te decet omnis honos.
Quid queror infœlix? ſine pondere verba querentis
In Salam rapidis deuehit Ilmus aquis.

Sic iterum ſic ſæpè tamen iuuat edere queſtus,
Quos mihi cum letho finiet vna dies.
Tunc pater hanc animam cœleſtibus inſeret oris,
Quæ mihi ſunt partæ ſanguine CHRISTE *tuo.*
Sit tranquilla tibi requies, ſpes inſcia luctus:
Iamq́; vale: manes ſubſequar ipſe tuos.

MANES VXORIS RESPONDENT.

Deſine te fruſtra lachrymis affligere Coniux,
Parce etiam Manes ſollicitare pios.
Cur cor ſollicitis torques iuuenile querelis?
Fata ne te luctu poſſe mouere putas?
Viximus: hæc omnes homines manet vltima rerum
Linea: Mors nulli parcere nouit atrox.
Scilicet hoc meruit primorum culpa parentum,
Perſoluat pœnas vt vitioſa caro.
Tu Coniux potius nobis gratare, quod alta
Pacę frui nobis nunc ſuper aſtra datur.
Te meminiſſe decet: nos qui coniunxerat, idem
Nos poſſet nutu diſſoluiſſe ſuo.
Septem nunc annos, & bis duo luſtra peregi,
Debuit hic vitæ terminus eſſe meæ.

Tempus quodq́ datum eſt vixi, natisq́; tibiq́,
Nunc verò vobis mortua, viuo D E O.
Et curis hominum rebusq́ exuta moleſtis
Jam fruor æternis perpetuisq́ bonis.
Hic ego cum Nata, charisq́ ſororibus adſum
Ludit & ante meos Natus vterque pedes.
Accedit Mater, Pater & mihi gaudia præbet,
Cum cœtu & canimus carmina læta pio.
Chare Marite igitur nunc Coniugis accipe voces,
Quæ ſi non ſanent, pectora mœſta leuent.
Jmmatura quidem, quæ nos diſiunxit amantes,
Non tamen ante diem mors properata venit.
Stat ſua cuique dies & ineuitabile lethum:
Non fas hoc vlli tranſiliſſe fuit.
Non cupio in vitam poſt fata ſuprema reuerti:
Ex cœlo in terras quis rediſſe velit?
Antè D E I ſonitum dederit tuba quàm caua ſancti,
Et ſurgunt buſtis corpora quæque ſuis.
Tunc ego iuncta tibi fuero, mihi tu quoque iunctus
Et mecum capies gaudia ſumma poli.
Gaudia quæ nemo mundanis auribus hauſit,
Humano vidit lumine nullus homo.
Quæ quoque nemō poteſt humano fingere ſenſu,
Haud cor humanum gaudia tanta capit.

Non

Non igitur tunc me piget iſto corpore ſolui
Æternum vt viuam, concelebremque DEVM:
Sum tua, ſeu moriar, ſeu viuam, maxime IESV,
Et per te cœli regna beata colo.
Nil proſunt fletus hîc, nil lachrymæque tepentes,
Si lachrymis Ilmus creſceret ipſe tuis.
Viue tuum tempus: cum te tua fata vocabunt;
Huc venies: mecum ſecla perennis ages.
Namque ego non potui chariſſime, tempore, Coniux
Auferri è cunctis commodiore malis.
Inque malis an me potius, quàm plena ferentem
Gaudia ſperata viuere pace velis?
Nunc etiam quarum eſt poſt mortem cura ſuperſtes,
Commendo Natas, pignora noſtra, tibi.
In quo ſola ſalus, diſcant agnoſcere CHRISTVM:
Hunc vera cordis ſimplicitate colant.
Qui CHRISTVM *nouit, tenet omnia: nam ſine* CHRI-
Haud proſunt, vaſtus quas habet orbis opes. (STO
Sed vos ô Natæ monitis parete paternis,
Poſtulat hoc pietas, mandat id ipſe DEVS.
Cura pudicitiæ ſit caſtæ maxima vobis:
Vita quid eſt? ſcelus eſt absque pudicitia.
Iam generis veſtri eſt decus & quæ gloria ſumma;
In vera conſtans relligione mane.
Hæc

Hac auus & proauus laudem meruere perennem,
Hac virtus Patris eſt nobilitata tui.
Hæc vita functum radiantibus inferet aſtris:
Et dabit æterna proſperitate frui.
Tunc ego te rurſus, mea lux, mea vita videbo,
Lætitiæ noſtræ nec modus vllus erit.
Hæc te facturum, vel ſi minus ipſa rogarem
Non dubito, verum te tamen illa rogo.
Cætera tu per te cernis ſapientius ipſe.
Chare vale: luctus & moderare tuos.

OMNIVM VIRTVTVM GENERE, VERAQVE PIETATE IN DEVM ATQVE MARITVM, Illuſtriſſimæ & optimæ Principis, ac Dominæ, D. SOPHIAE, Ducis VVirtenbergicæ & Tecciæ, &c. Illuſtriſſimi Principis ac Domini, Domini FRIDERICI GVILELMI, Ducis Saxoniæ, Landgrauij Thuringiæ, Marchionis Miſniæ, &c. vxoris chariſſimæ & deſideratiſſimæ;

QVi moritur CHRISTO, viuit: qui viuit in illo,
Non moritur: non eſt mors vbi CHRISTVS adeſt.
Talis & illa fuit, tumulo quæ conditur iſto,
Iam dormit placidè: nec potuitque mori.
Hanc & nemo fleat: cur? nam cupit iſta per omnem
Vitam cum CHRISTO regna tenere, tenet.

Subiectiſſimæ commiſerationis, debitæ pietatis, & vltimi officij ergò F. &c.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ANDREAS CASPAR ab Ebeleben.